

» lib. LIV. Decretor. pag. 348, et in *Firmina*, 13 sept. 1734. Unice inquiri tunc potest num injuste vel juste dissentiat capitulum. Nam si juste con- tradicit, non obligatur ut invitum socium acci- piat. »

« Id ibidem confirmatur pluribus Sacrae Congre- gationis declarationibus. Postea sic pergit secretarius congregationis : « At tantummodo, si injuste dis- sentiat, etiam reluctante capitulo erectio deman- dari posset, ut in *Cæsenalensi*, in qua capitulum renebat novam dignitatem... die 6 maii 1723 rescripsit Sacra Congregatio : Esse locum erec- tionis. Et in *Firmina*, in qua postquam die 12 sept. 1734 rescripserat erectionem capitulo re- luctante factam non sustineri, proposito deinde die 5 mart. 1735 : An esset locus sanationi ? rescriptum est : Affirmative. Quando autem con- sensus datur, sed cum conditionibus, idem jus est ; de iis inquiritur num justæ fuerint. » Hu- cunque præd. D. Bouix.

Anno 1855, Reverendissimus episcopus Aurelia- nensis in Gallia obtinuit indultum apostolicum « ad hoc ut, veris existentibus narratis, audito ca- pitulo, ac constituto quod ex titulis patrimoniali- bus, ex dotibus constituendis ac annuis pensio- nibus canonicorum gradui et conditioni congrue consultum sit, ad erectionem octo tantum cano- nicatum juxta modum et cum conditionibus in præcibus expressis, pro suo arbitrio et conscien- tia, gratis devenire possit et valeat, contrariis quibuscumque non obstantibus. » Notandum quod in casu, et attentata regula cancellariæ XVIII *De non tollendo jus quæsitum*, clausula *audito capi- tulo* idem sonet ac *consentiente capitulo*. Porro ca- pitulum, ob validissimas rationes, consensum de- negavit ; sed episcopus, litteris Eminentiss. Cardi- nalis præfati S. Congr. concilii fretus, erectionem prædictorum octo canonicatum prosecutus est. Appellationem ad Sanctam Sedem capitulum inter- jecit, et Romam misit procuratorem qui, de man- dato Sanctissimi, coram DD. secretario S. Congre- gat. concilii rem omnem verbo et scripto expo- suit. Tempore debito relationem DD. secretarius fecit, Sanctissimusque oretenus viam procedendi in causa agendique rationem sive cum episcopo sive eum capitulo definire dignatus est ; iudicium tamen adhuc desideratur. Cf. *Des chapitres cathédraux en France*, cap. LXVIII, et præsertim opusculum cui titulus : *De l'état de la question capitulaire*, Pari- siis, apud Ludovicum Vivès, 1857.

Anno 1853, Reverendissimus DD. de Dreux-Brézé, episcopus Molinensis, simul et canonici Ec- clesie cathedralis, hunc libellum supplicem ad pe- des Sanctissimi attulerunt : « Beatissime Pater ; nihil ex pristinis efflagitationibus detraheutes, sed Ecclesie in hisce tempestatibus penuriae sublevan- dæ, amplificandæ divini cultus majestatis, et au- gendi capituli honoris studiosi, Ecclesie Molinen- sis episcopus et canonici, enixa nunc et unanimi prece expostulant quatenus octo et non amplius

canonicos eligere concedatur qui iisdem omnibus juribus, sede occupata aut vacante, ac cæteri po- tiantur, eademque munia obeant, dummodo ins- trumento authentico fidem faciant sufficientia pos- sidere ad congruam sustentationem et debitam cano- nicæ dignitatis existimationem. Prædictos cano- nicos episcopi nominare erit, sed non sine capituli assensu, eo tantum excepto casu quando aliquem vicarium suum generalem titularem, ut in Gallia dicunt, ad hujusce generis canonicatum designa- bit episcopus, dummodo satis accommodatam et honestam sustentationem, ut supra, comproban- tem.

» Rescriptum. Die 19 septembris 1853, Sanctis- simus Dominus Noster, audita relatione infra scripti secretarii Sacrae Congreg. concilii, attentis pecu- liaribus circumstantiis animum suum moventi- bus, benigne indulsit pro gratia ut episcopus ora- tor, requisito capituli consensu, octo sacerdotes, in cathedralis Ecclesie canonicos, præter titulares, nominare ac eligere possit, pro unica vice tantum ad effectum de quo in præcibus ; constituto tamen sibi prius ex authentico instrumento prædictos ca- nonicos, ut supra eligendos, sufficienter possidere unde eorum gradui ac conditioni congrue consul- tum sit, contrariis quibuscumque minime obs- tantibus. — A. M. card. CAGIANO, præfectus. A. QUAGLIA, secretarius. » Cf. *Des chapitres cathédraux*, capite supra citato.

ADNOTATIO X.

Lib. III. Decretal. Tit. X, § I, n. 28 ; pag. 66.

CONSUETUDO NUNQUAM PETENDI CONSILIIUM AUT CON- SENSUM CAPITULI, IN CASIBUS A JURE PRÆSCRIPTIS, NON VALET.

Attentis juribus et doctrina communiter recepta de consuetudine contra legem, falsa videtur propo- sitio affirmans quod, in præsentis statu ecclesiasticæ disciplinæ et ex consuetudine legitime præscripta, episcopus quisvis non amplius teneatur ad exqui- rendum capituli sui sive consilium sive consensum in casibus a jure et præsertim Concilio Tridentino præscriptis. Sic enim argumentari datur : non valet consuetudo irrationabilis et a jure reprobata ; atqui consuetudo de qua agitur, omnes casus in univer- sum complectens, est irrationabilis et a jure repro- bata ; ergo non valet.

Probatur minor, 1º Est irrationabilis. Irrationa- bilis consuetudo illa est quæ non conducit ad bo- num communitatis, atqui consuetudo nunquam petendi consilium aut consensum capituli non con- ducit ad bonum communitatis ; ergo. Probatur mi- nor ex Scriptura sacra, Sanctis Patribus, mente et praxi Ecclesie, quæ adstruunt in rebus arduis ne- cessitatem petendi consilium a viris doctrina expe- rientiaque pollentibus. Cf. cardinal. de La Luzerne, *Droits et devoirs des évêques et des prêtres*, 1844, Migne, col. 263. *Des chapitres cathédraux* et

France, cap. xv, et cap. lII ; DD. Sibour, *Stat. capit. Dinensis*, inter documenta inserta in opere *Des chap. cath. en France* pag. 529. Etenim ambæ propositiones scilicet : petere consilium aut con- sensum capituli in casibus præscriptis conducit ad bonum communitatis, ut patet ex ipsa legis exis- tentia ; et nunquam petere consilium aut consen- sum capituli in casibus præscriptis conducit ad bonum communitatis, nequeunt simul esse veræ ; ergo.

2º A jure reprobatur. Ex constitutione Urbani VIII *Romanus pontifex*, 5 junii 1644, « Abrogatæ sunt quæcumque consuetudines immemorabiles, etiam cum asserta forma privilegii apostolici, militantes contra libertatem ecclesiasticam et Ecclesiis ac per- sonis ecclesiasticis earumque bonis præjudiciales. » Atqui consuetudo prædicta, generaliter sumpta, vergit evidenter in præjudicium Ecclesiarum, per- sonarumque ecclesiasticarum, canonicorum scilicet, et militat contra illorum libertatem ecclesiasti- cam, ergo reprobatur ; siquidem in casu verbum *abrogatæ* idem sonet ac *reprobatæ*. Sane non diffi- temur consuetudinem inter personas ecclesiasticas inveciam in casu particulari et definito valere posse, licet aliquo modo libertati bonisque personarum ecclesiasticarum, in specie capituli et canonicorum, sit præjudicialis, sed consuetudinem de qua nunc disseritur scilicet nunquam petendi consilium aut consensum tanquam reprobata ab Urbano VIII incunctanter et sine ullo mentis ambiguitate tene- mus, quia ex tali consuetudine nervus disciplinæ ecclesiasticæ dirumperetur, cap. 5 *Cum inter, De consuetudine*.

Quoad consuetudinem contra decreta Tridentina, studiosus lector adeat eximiam dissertationem D. Bouix in opere cui titulus : *De Principiis juris canonici*, Parisiis, Lecoffre, 1852, pag. 369 et seqq. cujus tantum conclusiones hoc in loco referemus : « IV. Quid videatur tenendum et concludendum ? 1º Tanquam certum asserti posse videtur, saltem quoad plura Tridentina decreta, contrarias consue- tudines pro nullis constanter haberi a Romanis Congregationibus et tribunalibus. 2º Utrum hæc praxis tribunalium Sanctæ Sedis constans sit quoad omnia Tridentina decreta nobis nondum est plane perspectum. Citat quidem supra laudatus P. Soll quædam exempla consuetudinum quæ in Germania contra leges Tridentinas invaluere ; sed exempla illa nihil probant. Potest siquidem Summus Pon- tifex ex silentio œconomico non reclamare contra consuetudines quæ alicubi introducuntur, licet ipsis minime consentiat. Probarent ista exempla, si alle- gari simul posset aliqua decisio congregationum romanarum hujusmodi consuetudinibus favens. Talem vero decisionem nec allegat P. Soll, nec nos adhuc reperire potuimus. 3º Consuetudines Tri- dentinis legibus oppositæ, quæ non admittuntur a Romanis Congregationibus et tribunalibus, hoc ipso carent consensu tacito Summi Pontificis, ac proinde nullæ sunt. 4º Ergo hoc ipso quod aliqua consue-

tudo contraria sit decretis Tridentinis, saltem du- bium est, posito tantum consuetudinis facto, an habeat consensum tacitum Summi Pontificis, in quo dubio possidet lex Tridentina contra consue- tudinem. 5º Ergo in praxi nullum licet violare Tridentinum decretum ex solo titulo contrariæ consuetudinis, sed recurrendum est ad Sanctam Sedem ut constet de consensu Summi Pontificis. Dicimus ex solo titulo consuetudinis, quia appro- batio alicujus consuetudinis a Sancta Sede ex in- dultis et multis aliis modis constare potest.

« Auctores vero, qui putarunt valere posse con- suetudinem contra Tridentinas leges, non videntur satis attendisse ad istam rationem et praxi tribuna- lium Romanorum deductam. Præsciudendo enim ab illa praxi et nos libenter concedimus vinci posse a consuetudine contraria legem omnem juris hu- mani etiam Tridentinam, licet irritanti decreto mu- nitam. Posita vero prædicta praxi, idem dicere non audemus. Praxis enim illa æquivaleret declara- tioni constanter (data occasione) repetite qua Sum- mus ipse Pontifex moneret se velle Tridentinas leges inviolatas servari, et se minime consuetudi- nibus contrariis consentire. »

Denique in quampluribus decretis conciliorum provincialium modernis temporibus in Gallis cele- bratorum mentio sæpissime fit de lege petendi consilium a capitulo aut etiam consensum, nec ul- lum verbum de consuetudine hac in materia repe- ritur.

Ita concilium Suessionense : « Cum promulgata fuerint hujus concilii decreta, episcopus quisque sui capituli statuta regulis supra expositis, juxta normam sacris canonibus præscriptam, accommo- dabit, *requisito prius ejusdem capituli consilio*, ut fert rescriptum a cardinali Caprara legato a latere die nona mensis aprilis an. 1802 Parisiis datum ; servatis capitulorum cathedralium juribus, secun- dum posteriora Apostolicæ Sedis acta. Tit. XIV, cap. III. » Idem habetur in decretis concilii provin- ciæ Turonensis, et provinciæ Avenionensis. PP. Avenionenses addunt : « Nec minore diligentia occurrant (canonici) in conventus capitulares, vo- cante vel annuente episcopo, sive in casibus a lege prævisis, sive in aliis casibus non prævisis, universi aut singulatim doctrinæ suæ et prudentiæ præsi- dium daturi. »

Concilium Lugdunense : « Episcopus, in quibus- dam casibus a jure præscriptis, capituli *consilium* expetere debet et in nonnullis *assensum* obti- nere. »

Concilium Aquense : « Non omisso *consilio* ca- pituli in casibus a jure præscriptis. » Item : « *Con- sultores* (canonici) sunt episcopi in casibus a jure et consuetudine determinatis. » Hæc sedulo notan- dum quod verbum *consuetudine*, distinctum a verbo *jure*, attendat ad consuetudinem præter legem, non autem contra legem ; ita ut sensus sit quod ca- nonici debeant consuli non tantum in casibus a jure præfinitis, sed etiam in aliis consuetudine de-

terminatis. Cf. auctorem nostrum hoc titulo, § I, n. 25 et Adnot. sequentem.

Tolosanum : « Episcopis competit leges et statuta condendi quæ vim omnem obtineant independentem a consensu aut approbatione cleri, vel etiam capituli nisi in casibus a jure expressis. »

Auscitanum : « Hæc sunt autem capituli præcipua jura : ab episcopo *consuli* in casibus canonica sanctione vigente expressis. — In casibus a jure determinatis capituli consilium vel consensum episcopus exquiret. »

Eo majoris sunt momenti dispositiones præcitate, quæ in extenso recensentur in opere, *Des chapitres cathédraux en France*, cap. LIII et seqq. quo ab ipsamet Sacra Congr. concil. Tridentini, ut optinamur certis rationibus innixi, fuerunt insertæ; ideo tantum abest ut Sancta Sedes existimet titulum nostrum, *De his quæ fiunt a prælatis sine consensu capituli*, merito ab aula recessisse. Quapropter Eminentissimus Cardinalis præfectus ejusd. Sacræ Congregationis, 25 maii 1855, ad Reverendiss. episcopum Aurelianensem scribebat : « Optimo jure statutum episcopum in nonnullis capituli tanquam sui senatus *consilium*, aut etiam *consensum* exquirere debere. » *Des chap. cathédraux*, pag. 81. *De l'état de la quest. capit.* Parisiis, 1837 apud Ludov. Vivès. Unde, dum viveret Reverendiss. Parisiensis archiepiscopus DD. Sibour, in Brevi ad usum cleri quotannis elaborato et impresso, illud legi solitum erat : « M. l'archevêque consulte le chapitre métropolitain dans les cas prévus par le droit. »

ADNOTATIO XI.

Lib. III. *Decretal. Tit. X, § I, n. 34; pag. 67.*

DE CONVOCANDO CAPITULO AD CONCILIUM PROVINCIALE ET AD SYNODUM; ET UTRUM VALERANT CONSTITUTIONES SYNODALES SINE PRÆVIO CAPITULI CONSILIO PROMULGATÆ?

« Canonicos ecclesiarum cathedralium invitandos esse ad synodum provinciam delibentem fuit in concilio provinciali Mechliniensi, celebrato Lovanii anno 1574... et cum communi docet Fagnanus in cap. *Etsi membra*, a n. 37 usque ad finem, *De his quæ fiunt a prælatis sine consensu capituli*. Inviti tamen compelli nequeunt ut interveniant, quemadmodum idem Fagnanus prosequitur; et, si concilio provinciali intersint, votum mere consultativum, non decisivum, habent juxta decretum Sacræ Congregationis concilii in *Salernitana synodi*, die 19 april 1596, lib. VIII. *Decretor.* pag. 174.

» Quod spectat ad synodos diœcesanas, ut vera fateamur, nulla in antiquis synodis fit mentio canonicorum; sæpius quidem illis interfuisse, atque interesse debere legimus abbates, priores, decanos et parochos.... Sed nusquam canonicos specialiter nominatos invenimus. At nihilominus, juxta præsentem disciplinam, ad diœcesanam synodum invi-

tandos esse canonicos ecclesiarum cathedralium communiter asserunt doctores congesti a Monacello, tom. I, tit. V, formul. 3, n. 3. solumque quæstio est an invitati teneantur adesse. Bottus in tract. *De synodo*, part. II, in princ. n. 2 et seq. et Massobrius, *De syn. diœc.* cap. III, dub. 2, affirmant reluctantes cogi non posse, nisi tamen in synodo agendum foret de negotiis ad eos pertinentibus, aut de rebus in quibus ab episcopo capituli consilium est exquirendum. Attamen sententia opposita, obstringens canonicos cathedralis ad interveniendum Synodo, saltem per aliquot e capituli gremio deputatos, magis recepta est apud doctores et usu comprobata. Primo, quia censentur constituti in quadam quasi dignitate, comparanda cum prioribus, et decanis, quos semper ad synodum adactos nuper vidimus. Secundo quia nunquam accidit ut in synodo non tractetur de horis canonicis rite persolvendis, de cleri moribus reformatis, de restauranda ecclesiastica disciplina, cæterisque quæ ipsos quoque canonicos respiciunt; in quo rerum eventu omnes doctores consentiunt non licere canonicis se a synodo excusare, Barbosa *De off. et potest. Episcopi*, part. III, allegat. 33, n. 11, Pax Jordani lib. VIII, tit. II, n. 59. Romaguier. ad *Constit. synod. Gerunden.* lib. I, tit. I, cap. II, n. 15, et alii eandem obligationem extendentes ad eorundem canonicorum coadjutores. (Bened. XIV, *De syn. diœces.* lib. III, cap. IV, nn. 1 et 2.)

« Necessè utique non est ut episcopus, novas constitutiones in synodo promulgaturus, totius cleri sententiam efflagitet, sed satis est si sui capituli consilium exposeat, etsi illud sequi non teneatur, nisi in ipsis constitutionibus aliquid decernatur de re, puta de ecclesia parochiali alicui collegio aut monasterio perpetuo unienda, ad quam jura majoris partis capitularium exigunt consensum. Quin imo ab ea ipsa obligatione petendi capituli consilium solutus erit episcopus qui per legitime præscriptam consuetudinem jus sibi acquisierit novas leges condendi et publicandi, inconsulto capitulo : quod reapse contigisse in diœcesi Gerundensi testatur Romaguerra ad *Constit. synodal. Gerundenses*, lib. I, tit. I, cap. I, n. 20; et siquidem contrariorum eadem est disciplina, obstringeretur episcopus non solum consilium, sed etiam sui capituli consensum expetere, ubi idem capitulum id juris ex antiqua consuetudine sibi vindicasset. Constant hæc omnia ex pluribus Sacræ Congreg. concilii quæ subnectimus responsis.... (Benedict. XIV, *De syn. diœces.* lib. XIII, cap. I, n. 9.) » Notandum quod in responsis a Benedicto XIV relatis nec ullum invenitur verbum ex quo consuetudo non petendi in casu consilium capituli tanquam legitima censeatur. Idcirco eximus auctor quando scripsit : Constant hæc omnia ex pluribus etc... » verbis nimis generalibus ut videtur.

» Posito autem quod episcopus, priusquam syn-

odales constitutiones promulget, sui capituli consilium exposcere debeat, quo melius et maturius suam capitulares sententiam pandant, decet profecto ut illas, ante synodum, singulis canonicis expendendas tradat, omnibusque deinde in unum congregatis, quid de iisdem sentiant requirat et audiat. Postquam vero capitulum suum protulit iudicium, in episcopi arbitrio erit aut illi acquiescere, aut in suo proposito persistere, prout magis expedire judicaverit.... Quod si episcopus, inconsulto capitulo, novas constitutiones ediderit atque in synodo promulaverit, illæ profecto, utpote deflecentes a norma a jure præscripta, firmitate carebunt; quamvis, si justæ et rationabiles deprehendantur, sanari queant a Sacra Congreg. concilii : quod aliquando factum testatur cardin. Petra in *Comment. ad constit. I Bened. XII*, sect. *unic.* n. 17, tom. IV, pag. 124. » (Ibid. nn. 15 et 16.)

In omnibus synodis diœcesanis nuperrime celebratis in Galliis, capitula interfuerunt sive per canonicos omnes sive per duos saltem deputatos, et sententiam suam super ordinationibus synodalibus promulgandis aperire potuerunt. Insuper Reverendiss. DD. Darcimoles, archiepiscopus Aquensis, anno 1832, in mandato pro synodaliu statutorum promulgatione declarat ea propter se cum canonicis suæ metropolitane Ecclesie negotium habuisse. Item Reverendiss. DD. Dupanloup episcopus Aurelianensis, in statutis anno 1831 editis, sic loquitur : « Cultum Sanctissimi Eucharistiæ sacramenti... magis ac magis promovere atque ordinare valde exoptantes, venerabilibus fratribus Ecclesie nostre cathedralis prius consultis, omnia et singula quæ sequuntur in præsentis synodo sanximus et promulgari curavimus... » Et anno 1832 : « Præhabitis vicariorum nostrorum generalium, canonicorum Ecclesie nostre cathedralis, nec non Decanorum consiliis, ea quæ sequuntur, in diœcesana præsentis anni synodo nostra, statuimus. »

Item episcopus Atrebatensis, annis 1861 et 1864, ut constat ex regestis venerabilis capituli.

Cum autem Reverendiss. DD. Rivet, episcopus Divionensis, in promulgatione statutorum, anno 1834, consilium a capitulo non exquisivisset, et currente anno 1836, additiones quasdam evulgare satageret, mandatum die 14 maii edidit in quo legitur : « Des questions d'une haute importance ont été étudiées et définitivement tranchées dans le synode de 1835. Aussi, espérons-nous que cette dernière partie de nos statuts aura pour effet de consolider dans le clergé de ce diocèse l'ordre, la paix, la piété et l'unité dans l'exercice du saint ministère. Afin d'atteindre plus sûrement ce but, et pour nous conformer à ce qui est enseigné à ce sujet par Benoît XIV, et par d'autres canonistes d'une grande autorité, nous avons soumis à l'examen et à l'étude de Messieurs du chapitre de notre église cathédrale, non-seulement les statuts dont nous venons de préparer la publication, mais encore ceux déjà publiés en 1834.

» Cette vénérable assemblée s'est appliquée à perfectionner notre œuvre avec un zèle et une élévation de vues qui l'honorent, et nous avons été heureux de profiter de ses observations. Quant aux changements qu'il nous a paru utile ou nécessaire d'introduire dans le texte des statuts déjà publiés, nous les mentionnons ci-après dans une annexe qui fera règle pour l'avenir, en ce qui concerne les points de discipline auxquels se réfèrent les diverses annotations qui y sont exprimées... A ces causes, après en avoir conféré avec nos vénérables frères les doyen, chanoines et chapitre de notre église cathédrale, nous avons ordonné et ordonnons ce qui suit... » Hoc ad perpetuam rei memoriam. Qui ampliora cupiet, adeat opus : *Des chapitres cathédraux en France*, cap. LXIX.

Animadvertendum multis abhinc annis synodos diœcesanas fere ubique apud nos obsolevisse, et ideo consuetudinem episcopis minime suffragari quoad consilium a capitulo non exquirendum; nam consuetudo ex actibus repetitis efformatur.

ADNOTATIO XII.

Lib. III. *Decretal. Tit. XI. De his quæ fiunt a majori parte capituli, § I, n. 10; pag. 74.*

AUCTORIS DOCTRINA DE NATURA, CONVOCATIONE ET PRÆSENTIA CAPITULI.

Docet auctor noster capitulum constitutum ex solis canonicis, sine prælato corpus integrum efficere, et ejus convocationem præsentiamque regulariter competere decano sive antiquiori canonico, non autem vicario generali. Quæ principia prorsus militant contra systema illorum qui statuta annis 1802 et sequentibus perperam capitulis Galliarum imposita tuentur. Videsis *Des chapitres cathédraux en France*, passim et signanter capp. XIV, XVII et LII; item : *Mémoire pour le chapitre cathédral de Nice*, in 8°, Parisiis, Lecoffre, 1865. Notandum quod regula Tridentina sess. XXV, *de reformat.* cap. VI : « Nec ad id vicarius episcopi admittatur; » ex communi sensu doctorum et Sacrarum Congregationum, non tantum in exemptis, sed in omnibus capitulis procedat, exceptis casibus excipiendis ad mentem ejusdem Tridentini loco citato.

In gratiam vicarii generalis non canonici sæpius allegatur responsum a Sacra Congreg. die 3 maii 1585, in causa vicarii archiepiscopi Mediolanensis prolaturum, his verbis : « S. Congregatio decrevit vicarium archiepiscopi Mediolanensis capitulis Ecclesie metropolitanae et negotiorum tractationi et expeditioni interesse valere, et primam sedem habere juxta decretum concilii provincialis tertii. » Ita *Prælectiones jur. can. hab. in semin. S. Sulpitii*, Parisiis, Lecoffre, secunda edit. 1862, tom. II, pag. 173. Porro, ut responsum istud sane intelligatur, oportet hic inspicere speciem facti, ut aignat.

In prædicto concilio Mediolanensi tertio leguntur

varie dispositiones *De iis quæ ad capitulum pertinent*, quarum, in ordine ad rem de qua nunc agitur, præcipuas referemus. « Quo facilius, inquit Patres, episcopus in ecclesia sibi commissa et divinum cultum augere et canonicorum concordiam, mutuaque caritatem conservare, et canonicam disciplinam tueri possit, singulis mensibus, aut saltem sæpe in anno, canonicali capitulo interesse studeat, vel eo loco ubi haberi solet, vel alio quo illud is ad se convocare maluerit; convocet autem cujusvis rei causa, ob quam expedire judicavit. Quo in capitulo aliquando videat an quæ, de divinum officiorum cultu, præscripta sunt recte, rite, ordine atque cum dignitate gerantur. An item si quæ in capitularium rerum tum spiritualium, tum temporalium tractatione irrepserint, quibus pastoralis sua cura consulendum sit. An inter canonicos controversiæ sint, an dissidia. An præscriptæ capitulo leges inviolate serventur. Tum denique moneat, agatque quæ, et pro muneris sui officio et pro rerum agendarum ratione, expedire censuerit... Canonici ad capitulum statis diebus accedant, et aliis item diebus extra ordinem eo vocati conveniant omnes, neque cuiquam, illo per præfectum non dimisso, ante discedere liceat nisi ex causa præfecto probata, missioneque ab eodem impetrata... (Acta Eccl. Mediolan. part. I, ubi de con. provinc. III.) » Sequuntur multæ aliæ dispositiones quas referre supervacaneum est. Unde cuilibet perspicuum evadit Patres Concilii prædicti voluisse quasdam regulas circa capituli et canonicorum officia decernere, nihil autem immutasse quoad convocationem faciendam ab ordinario præfecto seu præside et ejus presidentiam; affirmasse tantum jus episcopo competens convocandi et adeundi capitulum, cujusvis rei causa, de quo nulla controversia. Addendum quod, post multa decreta circa materias omnino diversas, in fine hujus tertii concilii, sub rubrica: *Quæ generatim ad hæc decreta et ad alia pertinent*, leguntur hæc verba: « Quamcumque facultatem ex decretis in hoc provinciali synodo Mediolanensi a nobis editis habent episcopi, eam ipsos per suos vicarios generales exequi posse volumus; nisi in iis quæ proprie ad ordinem episcopalem pertineant; aut in quibus vicarii a SS. canonibus aut a Concilio Tridentino vel a nobis expresse exclusi sunt. » Igitur responsum datum a Sacra Congregatione, 5 maii 1585, in sensu nimis generali ab auctore *Prælectionum* accipitur, estque limitandum, ut fert ipsa declaratio, « *juxta decretum concilii provincialis tertii*; » id est, posse quidem vicarium generalem, de mandato saltem tacito episcopi, capitulis intervenire seu quolibet mense aut saltem sæpe in anno, et rebus illis providere quibus provideret episcopus ipse si adesset, et exceptis excipiendis. Sed tantum abest ut Concilium decreverit convocationem capituli et presidentiam in omni casu ad episcopum vel ejus vicarium pertinere, canonicosque ullo in negotio per se ipsos, et absente prælato vel ejus vicario, non

posse rem quamcumque tractare. Insuper primæ sedes in casu vicario generali honoris causa debita non idem ac presidentia proprie dicta sonare videtur; sufficit ut prædictus vicarius munere suo libere et decenter fungatur ad mentem Concilii provincialis tertii, et præfectus capituli canonicique omnes cum illo reverenter se habeant. Denique, monitos volumus lectores concilia provincie Mediolanensis, sub sancto Carolo feliciter celebrata, confirmata fuisse a Sancta Sede *in forma speciali*, et ideo illorum decreta jus facere quidem, sed pro sola prædicta provincia, sine ad alias dioceses extensione. Cf. Adnotationem XXVI volum. tertii hujusce præsentis editionis, et opusculum recens editum cui titulus: *Des doyens de Chapitre*, apud Vict. Palmé, Parisiis, 1867.

ADNOTATIO XIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XI, § II, n. 58; pag. 74.

IN EXQUIRENDIS CANONICORUM VOTIS, UTRUM SIT STAN-
DUM SANIORI PARTI AN MAJORI?

Oportet perpendere omnia quæ docet auctor noster in præsentis paragrapho, et discernere casus in quibus sanior pars, licet minor quoad numerum, contra majorem prævalere debeat. « Hodie inquit Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 437, non amplius attenditur sanior sed major duntaxat pars, ut dictum supra in cap. *Quia propter, 42, De elect.* » Cf. Adnotationem XXXIII volum. primi. « Præterea, in decretali *Cum in cunctis*, hoc titulo, addit apposite Giraldus, loc. cit. reprobantur consuetudines contrariæ, etiam juramento firmatæ, tanquam Ecclesiæ utilitatis læsivæ, quarum observantiam si quis jurare præsumperit, a perceptione Eucharistiæ abstinere debet donec condignam egerit penitentiam. Quid autem novi accesserit, tam ex Nicolao III quam ex Gregorio XIII, contra præstantes juramentum de observandis iniquis statutis et consuetudinibus, dictum est supra ad cap. *Petitio vestra, 31, De jurejurando.* » Cf. Adnotationes XII et XIII volum. tertii; *Des chap. cathéd. en France*, cap. xv, XLIV et LI; *Mémoire pour le chap. cath. de Nice.*

« Minor pars, inquit Barbosa, *De Canon. et dignitatibus*, cap. XXXVIII, quandoque totam obtinet potestatem, veluti quando major pars rationi non adherere probatur, ut dictum est, sicut et quando in pœnam privationis ob culpam aliquam incidisset, cap. *Bonæ, 1, cap. Cum nobis, De Elect.* cum similibus. »

ADNOTATIO XIV.

Lib. III. Decretal. Tit. XI, § II, n. 42; pag. 79.

ALIQUANDO REQUIRITUR UNANIMITAS CAPITULARIUM

« Uno casu, inquit Barbosa, *De canonicis et dignitatibus*, cap. XXXVIII, non major pars sed totum

capitulum obtinet potestatem, et omnium canonicorum consensus requiritur, quando scilicet negotium, de quo agitur, singulos concernit canonicos separatim; eo namque casu singulorum consensus requiritur, Glossa v^o *Constitutum*, et *Ut singuli*, in cap. *Cum omnes, De constit.* Duen. reg. 295; Anton. Gomez. tom. *Variat.* cap. III, n. 14; Azevedo ad *Cariam Pisanam*, lib. II, cap. XIV; Villag. in tract. *De rebus Eccl. non alien.* lib. I, part. I, cap. CI, n. 7 et 8, et cap. CII, n. 7.) Ego ipse in *Collect.* ad dict. cap. *Cum omnes*, a n. 6; me citato in illo loco Diana, *Resolut. moral.* part. I, tract. III, resol. 29: et ita contradictio unius sufficit in his quæ competunt jure singulari, ut per Abb. n. 7. *Et dico*; Butr. n. 18, et Bero n. 58 in d. cap. *Cum omnes*, Cavaler. decis. 434 n. 5. Intellige de singulis, de quorum præjudicio principaliter agitur, secus si secundario; Glossa ult. in cap. *Quamvis pactum, De pactis* in 6. Tiraquell. in tractatu, in princip. n. 10 et 11. Nam eodem modo citatio ejus, cujus principaliter in *Collect.* est necessaria, non autem illius qui in *Collect.* lædi potest, ut per Glossam etc... »

ADNOTATIO XV.

Lib. III. Decretal. Tit. XII, Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, § I, n. 15; pag. 84.

ANONITER RECEPTIS ALIQUID EXIGERE OMNINO INTER-
DICTUM.

Caput XIV de *Reformat.* sess. XXIV, in quo statuitur ne pro provisione, electione, confirmatione, institutione aut admissione in possessionem alicujus ecclesiæ cathedralis, sive canonicatus, sive beneficii, sive præbendæ, sive distributionum deductiones, ex fructibus solutiones, promissiones, compensationes aut aliæ conditiones seu turnorum iura interponantur, non obstante quacumque constitutione vel consuetudine, etiam immemorabili; exceptis erogationibus consuetis applicari in usus pios, laudabili consuetudine seu constitutione introductis et ab episcopo approbatis, declaratum est et simul ampliatum a S. Pio V constit. *Durum nimis*, 31 maii 1570, decernente episcopos incurrere suspensionem ab officio pontificali, donec absolvantur a Papa, prævia restitutione receptorum; collegia et universitates interdictum, non tamen reservatum: singulares personas excommunicationem Papæ reservatam; et his pœnis ligari dantes quam accipientes, ibi:

« Præcipimus igitur et interdiximus omnibus episcopis, capitulis, collegiis et personis ad quas id pertinet, ne posthac fructus aut distributiones hujusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, neque ipsorum cessionem vel renuntiationem, aut dulciaria vel alia quomodocumque petant vel exigant, aut quemquam sive ordinaria, sive apostolica auctoritate provisum, ad præstandum hu-

jusmodi juramentum inducant, aut illi prædicta non facienti possessionem impediunt vel remorentur. Quicumque contrafecerint, si Ecclesiarum antistites, tandiu a pontificali officii exercitio sint suspensi donec satisfactione prævia illis per Sedem apostolicam suspensio relaxetur: capitula vero et collegia quæcumque ecclesiastico subiaceant interdicto, ac singulares personæ in excommunicationis sententiam incurrant a qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam a Romano Pontifice absolutio- nis beneficium nequeant obtinere. Decernentes hujusmodi præstita juramenta non tenere, nec quemquam illis obligari, quinimo jurantes in hujusmodi censuram incidere, nec non irritum et inane quidquid secus super his per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus statuimus ut, ubicumque hujusmodi fructus et distributiones fabricæ, vel sacristiæ aut alterius pii loci usibus citra semestre tempus reperiuntur concessi, horum duntaxat dimidia pars ipsi sacristiæ vel fabricæ aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati prædicti integre percipiant.

Ampliatum est etiam ab Innocentio XIII, constit. *Ecclesiæ*, 22 sept. 1695, addente pœnas ipso facto, absque alia declaratione, incurrendas, privationis dignitatum, canonicatum, præbendarum, aliorumque ecclesiasticorum beneficiorum: et quoad regulares, privationem etiam vocis activæ et passivæ, ac graduum, munerum et officiorum obtentorum, et perpetuæ inhabilitatis ad illa et alia similia vel dissimilia in posterum obtinenda. Prohibente insuper, sub dictis pœnis Papæ reservatis, quascumque conventiones etiam juratas factas absque auctoritate apostolica ante provisionem Ecclesiarum seu monasteriorum, eas irritas declarando, ibi:

« Motu proprio... omnia et singula præmissa a præfatis Nicolao III, Pio V et Gregorio XIII prædecessoribus constituta, ordinata, interdicta et decreta, respective declarata, ut præfertur, expeditasque desuper illorum constitutiones seu litteras supra dictas, tenore præsentium, perpetuo approbamus, confirmamus et innovamus, illisque perpetuæ atque irrefragabilis apostolicæ firmitatis robor, patrocinium et præsidium adjicimus. Præterea ut eadem præmissa firmiter atque inviolabiliter de cætero observentur, ultra omnes et singulas pœnas in iisdem constitutionibus seu litteris impositas, privationis dignitatum, canonicatum et præbendarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, et, quoad regulares, etiam vocis activæ et passivæ, ac graduum, munerum et officiorum quoruncumque per eos respective obtentorum, perpetuæ inhabilitatis ad illa, et alia similia vel dissimilia quocumque in posterum quomodolibet obtinenda, pœnas per contrafacientes ipso facto, absque alia declaratione, incurrendas adjungimus.

« Porro ad penitus extirpandum atque evellendum ab usum capitulationum, pactionum, conventionum, concordatorum seu statutorum quoruncum-